Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2237
Quelle:
Copyright:

Fol. 415. *Sermo Lauden. episcopi.* Atque is habitus fuit in solennibus Regis Exequiis celebratis in Templo cathedrali *Constantiae 1416. 30. Apr.* ut *Acta Hardt.* T. IV. p. 714. et T. XVI. *Labb. col.* 385. testantur. Init: *Rex vero letabitur in Deo. Ps. 42. Rev^mi.* — *Indesinenter vberrimos in fletus prorumpere et lacrimas effundere incessanter certissime existimassem* &c. Ineditum censuit *Quetifus* T. I. *col.* 784. sed habes illum T. *cit. Labb. col.* 1343. non tamen *Jacobo* nostro, sed *Antonio* Generali Ord. S. Mariae de Mercede *Ferdinandi* ad Concilium *Ambasiatori* inscriptum e *Cod. Lips. Antonium* hunc eadem Exequiarum die Sermonem habuisse *Acta cit.* adfirmant. Verum in toto Sermone nostro ne quidem vestigium deprehendas, Autorem aut Regi *Arragoniae* subditum, aut ab eo missum fuisse. Ex altera parte ajunt *Acta*, *Jacobum* in Sermone suo egisse de approbatione Capitulorum inter Defunctum et *Sigismundum* Imp. *Perpiniani* initorum per *Alphonsum* Filium et Successorem facta, de qua nihil in nostro. Tertio igitur quodam Sermone detegendo opus erit, ut lis inter *Codicem Lips.* et *Vindob.* dijudicari queat.

Fol. 419. p. 2. *Sermo magistri Henrici Aleudensis studij Oxonien.* Legendum puto *Abindonensis.* Inter tot misere deformata Nomina Personarum, quae Concilio adfuerunt, quibusque nec ab *Labbeo*, nec ab *Hardtio*, aut *Coleto* ulla impensa est opera, comparet etiam *Henricus de Abundensi*, *Abunden*, *Abendon*, *Abindon*, Academia *Oxon.* Ablegatus, de quo *Tannerus* in *Bibl. Brit. Hib.* inter alia refert, Vindicem fuisse Nationis suae contra *Gallos* et *Hispanos* in Concilio, unde Scripti fortassis Autor, quod *Hardtius* T. V. P. I. *col.* 76. dedit. De Sermone autem nostro, quem non alteri tribuendum censeo, siletur. Thema ejus est. *Sitis repleti fructu iusticie. Ad Philip.* 1. Quam cum Epistolam *presentis dominice* vocet Orator, Sermo habitus est Dom. XXII. post Pentec. Init vero: *Celestis agricola dominus ihesus christus veniens in mundum* &c. et praemissa honorifica *Sigismundi* Imp. mentione Clerum acriter admonet officii. Ita de visitantibus Praebendas suas, *quando dies venerunt autumpnales et horrea sunt impleta*, ait: *Sed ecce repletis loculis abeunt longe ab ecclesijs, quandoque usque ad atrium summi pontificis, sed sacculos pecunie non omittunt, quin ipsos secum afferunt, quos postea voluptuose expendunt, aut quod malum est, in corbonam, aut quod peius est, in bancum, vbi suam iniquitatis mamonam cum maledictione multiplicant per vsuram, ex qua procedit illud negocium perambulans in tenebris, quo mercantes in domo symonis perquirunt sibi ipsis in mala hora plura beneficia pinguiora, et ex tunc surdi fiunt atque ceci, ut neque intelligant, neque audiant illud sanctum prouerbium, quod dicitur: Quia non vnus sed plures in beneficijs, non vnus sed plures*

in